

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

# BOLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0656

Giovedì 29.12.2005

## LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE AL 1° CONGRESSO EUCARISTICO NAZIONALE DEL CIAD (MOUNDOU, 4-8 GENNAIO 2006)

### LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE AL 1° CONGRESSO EUCARISTICO NAZIONALE DEL CIAD (MOUNDOU, 4-8 GENNAIO 2006)

In data 12 novembre 2005, il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato l'Em.mo Card. Francis Arinze, Prefetto della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti, Suo Inviato Speciale al 1° Congresso Eucaristico Nazionale del Ciad, che sarà celebrato a Moundou dal 4 all'8 gennaio 2006.  
Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale:

#### • **LETTERA DEL SANTO PADRE**

Venerabili Fratri Nostro  
**FRANCISCO S.R.E. CARDINALI ARINZE**  
Congregationis de Cultu Divino  
et Disciplina Sacramentorum Praefecto

Quemadmodum quondam "tres magos, de longinquitate suae regionis excitos, ad cognoscendum et adorandum Regem caeli et terrae stella perduxit" (S. Leo Magnus, *Sermo* 3,5), ita et nos adeamus oportet Christum Dominum in Eucharistiae sacramento praesentem viva fide cognoscendum et adorandum una cum fratribus nobis creditis.

Laetanti quidem animo novimus sacros Tzadiae Praesules, simul cum fidelibus, tres post annos accuratae praeparationis per eucharisticos congressus locales singulis in paroeciis et dioecesis, proximo ineunte anno I Congressum Eucharisticum Nationalem esse celebraturos. Quia vero iuvenis catholica communitas istius Nationis superioribus annis uberiori crescit et prosperat, arbitramur huiusmodi eventum fidem populi potissimum robore posse, qua de re hoc salutare propositum Nos laudare cupimus et confirmare.

Quo autem catholica haec communitas universalis cum Ecclesia et beati Petri Successore unitatis vinculum magis persentiat Nostramque experiatur sollicitudinem et caritatem, libenter petitioni concedimus Nobis allatae, nempe ut Patrem Purpuratum illuc mittamus, qui Nostram his diebus gerat personam. Ad te autem mentem Nostram vertimus, Venerabilis Frater Noster, qui nunc praees Congregationi de Cultu Divino et Disciplina

Sacramentorum quique iam multos per annos dignum et fidelem te praebes Apostolicae Sedis ministrum in variis magni ponderis officiis et legationibus.

Quam ob rem fidenter te Nostrum Missum Extraordinarium constituimus ad Primum Congressum Eucharisticum Nationalem Tzadiae diebus IV-VIII proximi mensis Ianuarii in urbe Munduensi celebrandum. Hac data occasione, praesertim die sollemnitatis Baptismatis Domini, una cum sacris Pastoribus omnibusque christianis fervidas reddes gratias – quod voce "Eucharistia" significatur – pro sublimi dono baptismatis quo Christi mortis, resurrectionis et vitae participes efficimur (cfr *Rom* 6,4; *Col* 2,12), atque, hac in terra peregrinantes, Ipso, eucharistico Pane, copiose enutrimur. Hortaberis quoque christifideles, qui per baptismum receperunt fidem, ut proposito cordis permaneant in Domino (cfr *Act* 11,23) et Christi testes effecti fratribus subveniant animi corporisque in necessitatibus.

Quo hic eventus in spiritale totius populi bonum magis proficiat eiusque corroboret fidem, maturioresque simul edat caritatis fructus, legationem tuam Nostris comitabimur precibus. Salutationem denique Nostram omnibus illic transmittendam curabis necnon Benedictionem Apostolicam, caelestis gratiae pignus et propensa Nostrae voluntatis testem, Nostro nomine huius Congressus Eucharistici participantibus peramanter largiaris.

Ex Aedibus Vaticanis, die IV mensis Decembris, anno MMV, Pontificatus Nostri primo.

BENEDICTUS PP XVI

[01710-07.01] [Testo originale: Latino]

[B0656-XX.02]

---